

341
bit inconcussum, firmum, fixumque existentiam rei & durationem ejus realiter non differre, sed saltem ratione ratiocinatâ.

Th. 20. Superest, ut tribus quoque verbis de durationis hætenus explicatæ distinctione aliquid addamus. Vulgatissima & omnium pariter suffragio introducta videtur distinctio, quæ durationem in tres species dispescit, quarum unam Autores appellant increatam, reliquas duas creatas. Increatam vocant Æternitatem soli DEO propriam, estque duratio principio & fine carens. Creatarum alteram Ævum constituunt, quæ describitur, quod quidem fine careat, gaudeat nihilominus principio, Angelis cum primis conveniens: alteram verò Tempus esse dicunt, quod principium æquè & finem agnoscit. Quæ quidem distinctio ad Lydium lapidem examinata suos patitur manes; per hoc enim, quod omnem Æternitatem increatam velint, ab aureo veritatis tramite abluere constabit luculentius, ubi intà, creaturæ quoque æternitatem non repugnare, probatum dederimus. Sin verò æternitatem eâ de causâ increatam appellitarint, quia de facto nulla creata reperiatur, nos non habebunt dissentientes. Deinde hæc distinctio quoque in aliquam bonæ divisionis legem impingere videtur, desiderari enim potest una species, nempe *Ævum à parte antè*, quod in eâ creaturâ locum habuisset, quæ ab æterno creata, in tempore verò annihilata fuisset.

Th. 21. Nec desunt præterea, quæ huic divisioni securim impingere possunt videntur; nempe 1. Ævum & Tempus videntur constituere partes Æternitatis, sicuti hora diei pars est, quæ sicuti aliquam partem durationis diurnæ abscindit, & non constituit distinctam durationis speciem à die, ita quoque Ævum & Tempus sese habent, quod quandam Æternitatis partem abscindunt. Nam aliàs est impossibile duas durationes esse simul, nisi una sit alterius pars; veluti non sunt simul duæ horæ, aut duo dies, at hora & dies simul esse queunt. Quo etiam collineat Cicero, quando 1. de Invent. ait: *Tempus esse partem Æternitatis, cum annui, mensium, diurni nocturniq; aliqua significatione.* Ad hoc dubium tollendum respondetur, de Æternitate nos posse bifariam loqui, uno modo, quoad id, quod convenit ei à parte rei, ubi in Æternitate non includitur successio & defectibilitas, adeoq;